

admodum placitissima uerba: non te adspicere aliter benevolentia tuaq; o animo bno, ^{et} natal
felicissima uita ut in amicis uero pietatis et amicitiae uita. Quod si huiusmodi sicut
huiusmodi uero uirtutis manifestatio tamen non solum nobis sed etiam omnibus uirtutis uirtutis
huiusmodi est benevolentia. Huiusmodi uerba etiam totali uocemque benevolentiae manifestantur
etiam uerba uocemque benevolentiae manifestantur. Huiusmodi uerba etiam totali uocemque benevolentiae manifestantur
etiam uerba uocemque benevolentiae manifestantur. Huiusmodi uerba etiam totali uocemque benevolentiae manifestantur
etiam uerba uocemque benevolentiae manifestantur.

De peregrinorum apud Lacedaemonios loco et dignitate.

Commentationis in indicenda sollemni discipulorum nostrorum lustratione scribendae munere
hoc anno ad me perlato quum inter multa et varia, quibus hac aestate occupatus tenebar,
negotia diu dubius haererem, quid aut doctorum virorum iudicio non indignum aut ab auctoritate
scholae nostrae non alienum scriberem: factum est, ut quos ineunte vere ex omnibus
provinciae Rhenanae partibus in nostram urbem convenire adiunctaque sibi trium virorum
iuris peritissimorum doctrina et eruditione, quid sibi de novis legibus per terras Borussicas
ferendis videretur, libere pronunciare iussisset regis Augustissimi voluntas, ut ii de veterum
legum latorum sapientia me monerent. Nihil enim aut per se laudabilius aut ad hanc nostrorum
temporum condicionem accommodatius a me fieri posse putabam, quam ut ex nostrae
aetatis legum ferendarum propensione vel libidine ad remotissimae antiquitatis in rebus publicis
et instituendis et gubernandis sapientiam adscenderem. Quae sapientia quum maxime conspicua
sit in singulari illa, quae tota Lycurgi fuisse fertur, Spartanorum civitatis institutione, in eam,
quantum pro angustiis scholastici libelli fieri potuit, accuratius inquirere constitui. Omnes
enim, qui publice profitentur se scire aliquid de forma rerum publicarum deque variis illarum
aut condendarum aut moderandarum, qualia plurima nostra potissimum aetate facta sunt, plura
etiam, ut nunc fert rerum humanarum ratio, futura erunt, conaminibus, hi oratores se semper
admiratos esse dicunt cum omnem Lycurgeae civitatis indolem, tum in primis singularem illam
condicionem, qua inter maximas, quibus perturbabatur, fortunae vicissitudines aequabilem
semper et eundem fere per septingentos annos statum servavit. Quod quum multi essent qui
ex insita quadam, nec Lacedaemoniis solum, verum etiam omnibus Doriensibus innata indole
explicare posse sibi viderentur: alii hanc summae constantiae immo immobilitatis speciem ab
uno Lycurgo suae civitati impositam ¹⁾, alii nihil fere novi a sapientissimo homine excogiti.

¹⁾ Neque tamen illud nova aspernandi, antiqua probandi studium in solis Spartanis fuit vel Doriensibus: verum multo post Pythagoras discipulos suos monebat, ut in legibus et institutis patriis vel tum manerent, si ceteris essent deteriores; male enim consulere patriae qui rebus publicis novandis indulgerent. Confer Mahnium De Aristox. p. 104 et quem ille laudat Stobaeum Florileg. T. III. p. 115. Atque ita sentiens philosophus Samius, quem fortasse nostri homines disputantem mirantur, φαῦλον κριτὴν παντὸς καλοῦ πρόγυμνατος ὄχλον esse, quotidie suos cohortabatur νόμῳ τε βοηθεῖν καὶ ἀνομίᾳ πολεμεῖν, ut est apud Iamblich. §. 100. 171. 225.

tatum ²⁾, sed omnia e priscis Doriensium institutis revocata et nova tantum auctoritate sancita esse censuerunt. ³⁾ Quae quidem omnia ita comparata esse existimamus, ut in tanto doctissimorum virorum dissensu atque discordia non facile quemquam futurum esse dicamus, qui omnes quae fere insuperabiles sunt difficultates ita removeat, ut quid unius Lycurgi sit, quid universorum Doriensium inter omnes constare oporteat. Temerarium enim videri potest internum reipublicae Spartanorum statum aperire conari et explicare, quem ipsi aequalibus suis tanta arte et diligentia occultabant, ut qui tunc viverent Persarum Aegyptiorumve res melius nossent, quam popularium. Quocirca in tanta rerum tractandarum difficultate non minus quam copia et multitudine operae pretium facturi videmur, si ex multis, de quibus sermo institui potest, locis unum eligamus, qui est de peregrinorum apud Spartanos loco et dignitate eumque sedulo excutiamus accurateque exploremus.

Iam vero ne temere vagetur, sed certa via atque ordine procedat disputatio nostra, primum de modo ac ratione agemus, qua peregrinis in suam civitatem recipiendis cavebant, ne cives reipublicae deessent, deinde de odio dicemus, quo exteris homines omnes persecuti esse eosque procul a se habuisse dicantur.

Quod ad primum locum attinet, neglectis carminibus Homericis, quippe quae Ionum, non Doriensium mores describunt ⁴⁾, Eurysthenem et Proclém, primos Laconiae reipublicae

²⁾ Atque non nostra demum aetate, quae omnia dubitationibus labefactare et convellere adoritur, sed in ipsa antiquitate non deerant, qui illam legum ferendarum sapientiam ad Lycurgum deferre nollent, sed altius eam repetendam esse censerent. Hellanicus enim, antiquissimus rerum Laconicarum scriptor, quem tamen Herodotus non nosse videtur, ut qui quae alii scripserint se primum scribere velle fidem facit (Herod. VI. 55), Hellanicus, inquam, apud Strabonem VIII. p. 366 Εὐνουσθένη καὶ Προκλέα, ait, διατάξαι τὴν πολιτείαν, Ἐφορος δ' ἐπιτιμᾶ φήσας Λυκούρογον μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μεμνῆσθαι. Longius Pindarus Pyth. I. 62. ed. Dissen. progeditur, ubi Dorienses veterum institutorum tenacissimos describit his verbis: ἐθέλοντι δὲ Παμφύλον καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔχοντο ὅχθαις ὑπὸ Ταῦγέτον ραδοντες αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἴγιμιοῦ Δωρίοις. Vide Müllerum in libro: die Dorier T. II. p. 15. Neque tamen illi debitam suam laudem Lycurgo detrahere valeant. Confer, si tanti est, Xenoph. de republ. Lac. I. 2. Plat. Epist. VIII. p. 354. B. Cie. de republica III. 9. Tuscul. Disput. V. 3.

³⁾ Nimurum tantum abest, ut Lycurgum omnia ex suo ingenio hausisse et nova ratione excogitasse putemus, ut ne illa quidem omnia, quae vulgo Spartanorum et Doriensium esse feruntur, his unis propria vindicemus. Atheniensium enim antiquissima quaque et sanctissima instituta Hermanno Gottingensi tam prope ad Laconica quadam accedere videntur, ut quidquid intersit, id potius singulari Spartanorum indoli atque fortunae, quam Lycurgi ingenio tribuendum esse statuat. Cf. C. F. Hermanni Disputationem de causis turbatae inter Lacedaemonios agrorum aequalitatibus in Antiquitat. Lacon. Marburgi 1841 editam, p. 190. Constat enim reliqua civitates ab antiquis legibus suis temere deflexisse, Lacedaemonios autem mores et consuetudines maiorum fideliter servasse. Bonorum, ut hoc utar, ad quemlibet per testamentum transferendorum libertatem Solon demum civibus suis, qui quidem filios non haberent, permisit. Plut. V. Solon. c. 21. Confer Hüllmanni librum: Roem. Grundverfassung p. 156. Atque quae Lacedaemone a maximis natu tribulum fieri debebat puerorum recens natorum spectatio, ea Athenis ex vetere instituto apud curiales erat. Cf. Platnerum in: Beiträge zur Kenntniss des attischen Rechts p. 101. sq. et Meierum de gentilitate attica. Hal. 1834. Ipsa enim spectatio hoc loco nihil refert factane sit ad corporis robur examinandum an ad firmandam prosapiae auctoritatem. Quare si quis egregium illud et praeclarum reipublicae Lacedaemoniorum quasi corpus procreatum a Lycurgo neget, multos suae sententiae habebit adstipulatores; quo minus autem informatam ab illo et corroboratam dicat, non facile quemquam qui repugnet.

⁴⁾ Ita enim Megillum Laconem apud Platonem Legg. III. p. 680. C. disputantem audimus: ἡμεῖς δ' αὐτὸν χρώμεθα μὲν, καὶ ἔστιχε γε χρατεῖν τῶν τοιοντων ποιητῶν, οὐ μέντοι Λακωνικόν γε ἀλλὰ τυγά μᾶλλον Ἰωνικόν βίον διεξόχεται ἐκάστοτε, cui vel adversante C. F. Hermanno Antiqu. Lacon. p. 13. 111, et viri verba ad privatos tantum mores inque primis Odysseam spectare statuente assentimur.

conditores, Strabo, Ephori auctoritatem secutus, oninibus quibus alii civitatum auctores ornari soleant honoribus apud suos propterea caruisse narrat, quod peregrinis in civitatem receptis potestateque sua eorum opera immodice aucta et amplificata civium animos a se abalienarint.⁵⁾ Quae ab Aristotele confirmari videmus, qui Lacedaemonios sub antiquissimis regibus civitatem suam cum multis hominibus communicasse eaque re effecisse dicit, ne inter diurna bella⁶⁾, quae cum priscis Peloponnesi incolis ducentos amplius annos gerenda essent, non haberent, quorum fideli opera in bellis uterentur.⁷⁾ Quod ille tanto maiore veritatis specie disputare videtur⁸⁾, quanto maior fides tribuenda est Pausaniae, qui IV. 3, 3 primum Messeniorum regem Cresphontem in eandem, quam Proclum et Eurysthenem, civium suorum vituperationem venisse narrat, quod aequali agrorum inter suos et pristinos incolas divisione facta, subditorum magis, quam victorum rebus prospexerit. Quo pauciores enim erant qui sub geminorum fratribus auspiciis agrum Laconicum occuparant, quos Isocrates vix duo millia fuisse dicit⁹⁾, eo plura undecunque auxilia conquiri novisque debilem rempublicam praesidiis firmari necesse erat. Accedit, quod veteres incolae, qui aliquamdiu pari cum victoribus iure in terra sua se habitatuos esse speraverant, quum ex illa spe excidissent, ad bella et arma redibant. Numquam enim desperabant fore, ut ipsi aliquando adeo ad civitatis gubernacula accederent.¹⁰⁾ Haec autem perpetua domesticorum bellorum instauratio omnes illos tumultus et seditiones movebat, quibus usque ad Lycurgi aetatem cum reliquae Doriensium civitates perturbabantur tum in primis Lacedaemoniorum.

Atque quum omnium Spartanorum interesset videre, unde reipublicae suae recens conditae nova in dies ventura essent incrementa, tum in primis reges suae auctoritati nova praesidia circumspicere debebant. Tanta quidem primorum regum apertis ipsorum consiliis, quae communis omnium libertati perniciosa esse dicebantur, apud Spartanos, qui ab initio libertatis et aequitatis amantissimi suis se armis Peloponnesum expugnavisse magnamque illam regibus poter-

⁵⁾ Strab. VIII. p. 366. Ἐφορος δ' ἐπιτιμᾷ φήσας . . . ἐκείνοις δὲ καίπερ οἰκισταῖς γενομένοις μηδὲ τοῦτο δεδόσθαι, ὅστε τοὺς ἀπ' αὐτῶν τοὺς μὲν Εὐρυσθενίδας, τοὺς δὲ Προκλείδας καλεῖσθαι. οὐδ' ἀρχηγέτας νομισθῆναι, ὅπερ πᾶσιν ἀποδίδοται τοῖς οἰκισταῖς . . . καὶ αὐτίαν τούτου λέγει ὅτι ἐπήλυδας ἀνθρώπους δεξάμενος δι' ἐκείνων ἐδυνάστευε. Ephori, quem Strabo in primis secutus est, narrandi fides, scribendi diligentia tum ab ipso Strabone, tum a Polybio quam maxime laudatur. Vide Strab. IX. p. 422. X. p. 465. Polyb. exc. Vat. XII. 30 et confer Heerenium de fontibus geogr. Strab. in Comm. Gotting. rec. T. V. Cl. hist. et phil. p. 126. sqq.

⁶⁾ Thuc. I. 18. ἡ γὰρ Δασεδαίμων μετὰ τὴν κτῆσιν (nam κτῆσιν cum Haackio legere malim quam κτίσιν) τῶν νῦν ἐνοικούντων αὐτὴν Λασιέων, ἐπὶ πλεῖστον ὥν ἵσμεν χρόνον στασιάσασα, ὅμως ἐκ παλαιτάτον καὶ εὐνομηθῆ καὶ δεῖ ἀναρρινευτος ἦν.

⁷⁾ Aristot. Polit. II. 6, 12. λέγονται δὲ, ὡς ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πόλιτείας, ὡστ' οὐ γενέσθαι τότε διλανθρωπίαν πολεμούντων πολινὸν χρόνον.

⁸⁾ Similiter ab initio ordinatae videntur Corinthiorum, Sicyoniorum adeoque Argivorum res. Quae sententia firmatur auctoritate, qua in his quidem rebus maior nulla esse potest, Odofredi Müller (Dorier T. II. p. 21): *indessen scheinen Verträge das Verhältniss zwischen Dorfern und Achaeern genauer bestimmt zu haben, da jene nur langsam die Oberhand gewinnend den Beitritt jeder Stadt gewiss gern mit billigen Bedingungen erkauften.*

⁹⁾ Panath. §. 255, qui quidem amplificandi exornandique studio interdum ultra veritatis fines abripitur.

¹⁰⁾ Quod novarum rerum studium, quo illi homines incensi erant, causa fuisse videbatur Clavierio Hist. des prem. tems T. II. p. 167, ut nisi in agro a Lycurgo instituto, qui erat μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κνακίωνος Plut. Lycurg. 6, populi conciones habere non licet, ne reges civibus ab urbe avocatis perioecos concionibus admiscerent. Vix enim viros agrestes credibile est, rustico suo opere agrisque relictis ad urbem conventuros fuisse. Cui sententiae facile suffragabitur, qui locos Aristot. Polit. VI. 2, 1 et 7 inter se comparaverit.

statem comparavisse gloriabantur, erat invidia, ut eos regiorum generum principes esse nollent, adeoque vel nominum mutatione facta illorum memoriam perpetua sepelirent oblivione.¹¹⁾ Mittebant igitur, id quod Cresphontem in Messenia fecisse audiverant, tota Laconica in certas partes civitatesque descripta, quae communis foedere iunctae Spartam rerum suarum sedem et quasi domicilium haberent, qui illis sive pagis sive urbibus maiore auctoritate instructi praeserent, data potestate, ut quoscumque vellent peregrinos, ἐπῆλνδας ἀνθρώπους (Strab. I. l.), in civitatem acciperent. Quos eosdem esse atque ξένοντις, h. e. homines Spartae quidem natos, neque tamen Spartanos, quos διὰ τὴν λειπανδρίαν συνοίκους δέχεσθαι ἐπέτρεψαν, contendit Hermannus, Xenophontis et Plutarchi auctoritate fretus.¹²⁾ Putat enim Strabonem non satis accurate descripsisse Ephorum atque quod verbum apud eum invenerit ξένοντις, id in ἐπῆλνδας temere vertisse suspicatur.¹³⁾ Sed nos nostro iure Strabonem miramur inusitatum pro notissimo et eiusmodi verbum substituisse, quod propria sua vi et potestate nihil nisi homines aliunde advectos significare potest. Quod quo certius affirmemus, facit indubitatum Minyarum sive Tyrrhenorum exemplum apud Herod. IV. 145, quos non facile dixerit quisquam non esse homines ἐπῆλνδας.

Qualescumque autem illi fuerunt sive homines e peregrinis terris adsciti sive veteres Peloponnesi incolae, ipsa illa regum spes et exspectatio, fore, ut, quidquid veterum incolarum Peloponneso a se expugnata reliquum esset, ii aequo iure cum Doriensibus in agris viverent, satis probat, Spartanorum civitatem nondum tam severis quam postea legibus adscriptam fuisse. Quorum auxilio si reges adversus illud, quo Dorienses ardebat, libertatis studium in sua vel defendenda vel etiam augenda auctoritate uti volebant, non multum intererat, novine illi essent cives, qui omnia sua se regibus debere scirent, an socii interiore amicitiae vinculo cum ipsis quam cum civibus coniuncti. Multo autem gravius alienigenas homines in Spartanorum civitatem receptos esse argumentum ex ipso illo Minyarum quod modo attulimus exem-

¹¹⁾ Ac ne quis dicat, hoc in Laconica tantum factum esse, antiquissimis temporibus in Messenia non minus quam Spartae et Argis populi libertatis studiosi adversati sunt regibus hereditatis iure imperium exercentibus, usque dum apud Argivos cives victoriam reportarent, apud Spartanos Lycurgus pacis auctor fieret. Cf. C. F. Hermanni *Lehrbuch d. griech. Staatsalterthümer*. §. 23. init. ed. sec. Ceterum de variis illorum regum nominibus eorumque vi et potestate cf. Buttmanni *Mythol.* II. p. 266. sqq. Aliam causam mutati Heraclidarum, qui Corinthi regnabant, nominis affert Diodor. fragm. libr. VII. p. 14.

¹²⁾ Unus locus est Xenoph. Hell. V. 3, 9: πολλοὶ δὲ αὐτῷ καὶ τῶν περιοίκων ἔθελονται καλοὶ καγαθοὶ ἡχολούθουν, καὶ ξένοι τῶν τροφίμων καλούμενων, alter Plut. Inst. Lacc. T. VIII. p. 252. ed. Hutten.: ἔνιοι δ' ἔφασαν, ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἢν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἀσφῆσιν τῆς πολιτείας μετεῖχε τῆς ἀρχῆς διατεταγμένης μοίρας. Quibus addere licet Herod. IX. 11: ξείνοντις γὰρ ἐκάλεσον τοὺς βαρβαρούς. Cf. C. F. Hermanni *Antiquit.* Lacc. p. 26. n. 87 et in *Annal. crit. Berolin.* a. 1837. scid. 30. p. 237.

¹³⁾ Quid quod plura et meliora vidisse sibi videtur Kortumius in scriptione: *Wesen u. Schicksal der dorisch-lakonischen Ackergesetzgebung*, quam inseruit Horreo Historico, cui edendo praesunt Schlosserus et Berchtius (Francof. 1833) p. 133—180. Ille enim tertiam Pamphylorum tribum hos peregrinos, Doriensibus in Peloponnesum impetum facientibus admixtos posteaque in civitatem receptos fuisse maiore doctrina et eruditione, quam veri specie demonstrare conatur. Quamquam etiam Schoemannus Antiqu. Iur. Publ. Graecor. p. 104. n. 3., Hermanno I. l. p. 168 probante, nomen illorum ita interpretatur, ut eos ex multarum gentium colluvie confluxisse dicat. Adde Etymol. Magn. p. 37, 26. quod Aeolenses appellatos esse dicit διὰ τὸ ἐξ πολλῶν ἔθνῶν συνηθοῦσθαι. Eadem ratione Germanorum Alemanno volunt esse variorum hominum undecunque collatorum multitudinem, quos refutat I. C. Pfisterus: *Geschichte der Teutschen* T. I. p. 180.

plo licet repeteret.¹⁴⁾ Id enim, si quod aliud, luce clarius demonstrat inter primae aetatis perturbationes eiusmodi homines advenas nequaquam repudiatos¹⁵⁾, instaurata autem ab Agide et Euryponte Lacedaemoniorum republica pleno et optimo civitatis iure privatos loco νεοδαμάδων habitos esse.¹⁶⁾ In eandem sententiam Aristotelis locum supra commemoratum interpretamur.¹⁷⁾ Cum quibus si veteres Dorienses aegre coaluisse societatemque illorum hominum sedulo vitasse narrat Herodotus, de purgatione reipublicae restituendaque pristina civitatis puritate et integritate cogitasse putandus est.¹⁸⁾ Quos eosdem si idem ille Herodotus non multo post e civitate ejectos esse scribit, hoc ad nostrum consilium aut non multum aut nihil refert, dummodo eos vere cives fuisse praeter omnem dubitationem positum sit.¹⁹⁾

Inter summas illas et gravissimas contentiones, quas cum in reliquis Doriensium civitatibus, tum in primis Spartae reges cum populo habebant²⁰⁾, subito exstitit Lycurgus, qui in ordinanda sua republica id secutus esse videtur, ut extinctis perpetuarum altercationum seminibus sublataque perennium bellorum materia omnia certis finibus circumscriberet iustumque modum tum regum libidini, tum populi cupiditati imponeret. Regibus enim populo conciliandis perioecorumque condicione certis legibus definienda pristinoque, qui sub Heraclidarum redditum fuerat, statu quantum fieri potuit revocando diurnae felicitatis auctorem se futurum esse speraverat.²¹⁾ Etenim quae vel Platone iudice aliae aliis populis magis placent rerum publi-

¹⁴⁾ Herod. IV. 145. δεξάμενοι δὲ τοὺς Μινύας γῆς τε μετέδοσαν καὶ ἐς φυλὰς διεδάσαντο. οἱ δὲ αὐτίκα μὲν γάμους ἔγγυαν.

¹⁵⁾ Hanc enim eorum condicione fuisse docet Plutarchus de virt. null. T. VIII. p. 272. ed. Hutt., qui quidem Thyrrhenas in Minyanum locum substituit his verbis: οἱ δὲ εἰς Ταίναρον κατάσαντες ἐγένοντο χοήσιμοι Σπαρτιάταις περὶ τὸν εἴλωτικὸν πόλεμον καὶ διὰ τοῦτο πολιτείας καὶ γάμων τυχόντες, οὐν αἴξιούμενοι δ' ἀρχείων καὶ βουλῆς ὑπόνοιαν ἔσχον, ὡς ἐπὶ νεωτερισμῷ συνερχόμενοι καὶ διανοούμενοι τὰ καθεστῶτα κινεῖν.

¹⁶⁾ Qui quum deteriore condicione esse coepissent, ob id ipsum Cinado apud Xenoph. Hellen. III. 3, 6. eos inter quator hominum genera recenset εἴλωτας, νεοδαμάδεις, περιοίκους et ὑπομείονας, quos socios sibi in evertenda Spartanorum republica futuros esse sperat. Quales illi homines fuerint, de quibus nondum constant doctorum virorum sententiae, qualis denique Spartanorum δῆμος ipsis oppositus qui accuratius scire volunt, adeant illi eruditissimi C. F. Hermanni Disputationem de condicione atque origine eorum, qui Homoei apud Lacedaemonios appellati sunt in eiusdem Antiqu. Lacc. p. 111—152. Δῆμος enim, ut de hoc solo dicam, Doriensium multitudo longe plurimis esse videtur. Iam vero qui Polydorum regem, virum aquid plebem gratiosissimum, ab homine non obscuro intersectum esse Pausaniam III. 3, 2 narrantem audit, is facile ad eam opinionem adduci potest, ut Pausaniae δῆμος indigenas esse dicat, quorum auxilio rex in sua potestate augenda, frangenda vero Doriensium superbia usus fuerit.

¹⁷⁾ Aristot. Polit. II. 6, 12.

¹⁸⁾ Verba Herodoti I. 65 haec sunt: τὸ δὲ ἔτι πρότερον τούτων καὶ κακονομάτατοι ἥσαν σχεδὸν πάντων Ἑλλήνων κατὰ τε σφέας αὐτοὺς καὶ ξείνοισι ἀπόδοσικτοι, quae vulgo de odio intelligunt, quo Lacedaemonii omnes omnino peregrinos odisse dicuntur, quae vero Hermannus l. l. p. 39. ita interpretatur, ut illos olim meliore loco constitutos, postea optimo civitatis iure privatos esse dicat.

¹⁹⁾ Herod. IV. 146. Χρονον δὲ οὐ πολλοῦ διεξελθόντος αὐτίκα οἱ Μινύαι ἔξιβοισαν, τῇς τε βασιληῆς μετατέοντες καὶ ἄλλα ποιεῦντες οὐκ ὅσα.

²⁰⁾ Quibus in certaminibus quum reges in primis perioecorum operam adversus populum fidem experti essent, eos posterioris aetatis scriptores, quippe qui rerum gestarum famam accepissent, causas vero ignorant, propter nimium illorum studium in optimatum odium venisse opinabantur.

²¹⁾ Idem demonstrat locus Herod. I. 65, quem supra iam adhibuimus: τὸ δὲ ἔτι πρότερον τούτων καὶ κακονομάτατοι ἥσαν σχεδὸν πάντων Ἑλλήνων μετέβαλον δὲ ὡδε ἐς εὐνομίην. Cum quo vix consociandus est locus Strabonis VIII. p. 365: οἱ δὲ κατασχόντες τὴν Λακωνικὴν καὶ καταρχὰς μὲν ἐσωφρόνουν, ἐπεὶ δὲ Λακωνιγαρ τὴν πολιτείαν ἐπέτρεψαν, τοσοῦτον ὑπερεβάλλοντο τοὺς

carum gubernandarum formae ac rationes, ut tria sint genera civitatum, prout aut uni tribuantur hominum regendorum consilium, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum sit multitudini atque omnibus, eae Archytæ apud Stobæum non temere mixtae a Lycurgo, sed prudenter inter se coniunctæ esse videntur et copulatae.²²⁾ Atque in hac quidem singulari arte renovata et instaurata republica ut civitatem exteris hominibus nisi per paucis datam esse negemus, fides facit, quam Herodoto et Dionysio Halicarnasseo debemus.²³⁾

Quemadmodum autem saltus vel campi densis silvis lactisque segetibus operti, nisi novae stirpes inserantur futuraeque segetis semina spargantur, dumis horrent et vepribus atque ex felicissimis tristes fiunt et asperi, sic hominum quoque genera, nisi nova accipient incrementa, languescant necesse est et torpeant.²⁴⁾ Ut igitur Spartani vel Lycurgo ita iubente quam maxime oderint, quidquid non ex una secum stirpe natum fuerit, hoc tamen odium non tantum fuisse putamus, ut non ex helotis etiam, unde aliquas suae civitati futuras esse sperabant vires, nova sibi adiungerent subsidia. Prudenti igitur consilio Lycurgus ξένοις bene de republica meritos eiusdemque disciplinae, quam Spartanis suis imposuerat, severitate in se suscepta pari cum Doriensibus iure esse voluit.²⁵⁾ Sunt illi μόθανες sive μόθωνες, quos quum liberos, neque tamen cives fuisse censeat Phylarchus apud Athenaeum VI. 102. p. 271. E., Hermannus monet I. l. p. 132, eos adoptionis quodam genere plena civitate donatos esse. Pulchriores enim pueros et robustiores, quam qui ab helotis procreati videri possent, tamquam genuinos propriosque filios sibi vindicarunt Spartani.²⁶⁾ Illustrissimi enim viri et ad omnem posteritatis memoriam commendati, Gyliippus, Lysander, Callicratidas mothaces erant.²⁷⁾ Civitatis autem cum perioecis communicatae ante Agidem regem nulla exstant exempla.

ἄλλους κτλ. Quem cum Hermanno adhibita doctissimorum virorum auctoritate ita emendare, ut particula negativa in textum illata contrarius sensus e verbis eliciatur hic: τὸν κατ' ἀρχὰς μὲν οὐκ ἐστω φρόνον, quum audacius esse videatur quam prudentius, vereor ne vel propter sequens τοσούτον ὑπερεβάλλοντο multorum assensum ferat. Similiter Hor. Carm. III. 4, 10 pro extra limen Apuliae legere malunt *intra limen*, quod quidem magis placet, quam infelicissimam illam Puliam nescio quam Horatii nutricem viginti saeculis post mortem immortalitate donare. Germanica Groskurdii interpretatione: die beiden Besitzer Lakonikes lebten anfangs anspruchslos neutra lectio defenditur.

²²⁾ Stob. Serm. XLIII. 134. τοῖς μὲν γὰρ βασιλεῦσιν οἱ ἔφοδοι ἀντικάθηται, τούτοις δ' οἱ γέροντες, μέσοι δὲ οἱ κόροι καὶ ἵππαι γένεται. Ceterum de variis rerum publicarum generibus ex sententia veterum cf. Aristot. Polit. III. 7, 59. Cic. Legg. III. 7. de Rep. I. 16. Tacit. Annal. IV. 33 et Hüllmanni librum *Staatsrecht des Alterthums* p. 111. atque Schömanni Antiquitt. Iuris publ. Graecor. p. 35 sqq.

²³⁾ Herod. IX. 35: μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι Σπαρτιῆται πολιῆται.

²⁴⁾ Audi Plutarchum in V. Agid. 5 de fine reipublicae ita narrantem: ἀπελείφθσαν οὖν ἐπακοσίων οὐ πλείονες Σπαρτιᾶται, καὶ τούτων ἵσως ἔκατὸν ἡσαν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κληρον, atque confer quae summus Niebuhrus de gentibus Romanorum disputat in Röm. Gesch. T. I. (Ed. altera) p. 342. 412.

²⁵⁾ Plutarch. Instit. Lacc. T. VIII. p. 252. ἔνιοι δ' ἔφασαν, δτι καὶ τῶν ξένων δς ἄν υπομεινῇ ταντην τὴν ἀσκησιν τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Αυκούνδογον μετεῖχε τῆς ἀρχῆθεν διατεταγμένης μοίρας. Idem dicit Aelian. Var. Hist. XII. 43: δ δὲ Αυκούνδογος τοῖς ἐμψείνασι τῇ τῶν παιῶν ἀγωγῇ πολιτείας Λακωνικῆς μεταλαγχάνει, quos Sosibius apud Athenaeum XV. 15. p. 674. B. τοῖς ἀπὸ τῆς χώρας h. e. perioecis opponit.

²⁶⁾ Quos mothacas Plutarchus et Aelianus I. l. intelligunt, eosdem ξένους τῶν τροφίμων καλούμένους appellat Xenoph. Hell. V. 3, 9. Vide Schneiderum ad h. l.; praeterea Meurs. Misc. Lacc. II. 6. p. 129 atque Wachsmuthum in Hellen. Alterthumsk. I. 1. p. 220 et Hermannus I. l. p. 131. sqq.

²⁷⁾ Hoc in primis discrimen inter Lacedaemonios et reliquas nationes graecas intercessisse videtur, quod apud Athenienses, quicunque a civibus natus erat, pro cive habebatur, apud Lacedaemonios autem,

Haec quidem de via, quae iis, qui cives non nati erant, ad Spartanorum civitatem patet. Quam civitatem quum post Lycurgum duobus tantum hominibus datam esse Herodotus IX. 35 auctor sit, sapientissimum virum fatemur populum suum ab alienigenarum hominum societate vel etiam contagione prohibere eaque seiunctione operi suo immobilitatem et, quantum quidem in rebus humanis fieri potest, immortalitatem quandam praebere voluisse. Inde natum est illud peregrinorum hominum odium atque fastidium, quod veteres maximeque Aristophanes Lacedaemonis opprobrio vertit, quos Pac. 621 verbo ab ipso invento διειρωνοξένος appellat.²⁸⁾ Quod odium, ξενηλασίας nomine a Thucydide immortalitati traditum²⁹⁾, cuius varias causas veteres afferunt³⁰⁾, ne cui durius et crudelius videatur, primum fieri non potuit, ut qui universae Graeciae gubernacula tenere, certe inter Peloponnesi civitates primum locum occupare concupiscerent, non legatis aut mittendis aut accipiendis aliquam cum ceteris nationibus coniunctionem haberent et societatem. Sua sponte enim occurunt nomina Themistoclis et Alcibiadis, quorum neuter neque inhospitalitatis Lacedaemonios accusare potuit, neque inhu-

quicunque Spartano quidem genere oriundus neque tamen a puero tota Spartanorum disciplina Lycurgearumque legum severitate ad patrum virtutem institutus et eruditus erat, a reipublicae honoribus civiumque communione prohibitus optimo iure privabatur. Ea enim τὰ κακά esse docent loci Xenoph. de Rep. Lac. 3, 4. Hell. V. 3, 9. comparati cum eiusdem Inst. Cyri VII. 3, 16. Quae autem Xenophon τὰ κακά dicit, eadem Plutarchus Instt. Lacc. p. 252. Hutt. τὰ δίκαια appellat. Cuius rei locupletissimum testem audiamus Eteoclem ephorum apud Plutarchum Apophthegm. Lacc. VIII. p. 243 pueros regi Macedonum Antipatro obsides dari oportere negantem, quippe qui, si patria disciplina caruissent, ne cives quidem futuri essent.

²⁸⁾ Festive idem Aristophanes Aves 1014., qua ratione Spartani peregrinos ex sua urbe pellebant, eadem fere molestum illum et misere doctum mathematicum de via cedere iubet. Et ne Athenis quidem rem inauditam fuisse, nonnulla peregrinorum genera e civitate abire iubere, docet Droysenius, elegantissimus aeque ac doctissimus lepidissimi poetæ intrepes, ad Aves 1016 haec fere adnotans: *Auch in Athen durfte bei Gelegenheit der Mysterienfrage gewissen Kategorien von Fremden, zu denen ein Diagoras, ein Gorgias und andere gehörten, der Aufenthalt in der Stadt versagt worden sein. Cf. Des Aristophanes Werke, übersetzt v. J. G. Droysen T. I. p. 356.* Eiusdem ξενηλασίας Pericles quoque in nobilissima oratione apud Thucyd. I. 144 mentionem facit. Ex quo loco Dukerus perperam sibi intellectisse visum esse affirmat Cragium de Republ. Laced. libr. III. tab. III. 3, Periclem legatos ad Lacedaemonios mittendos esse censuisse petituros inter alia, ne Atheniensibus sociisque ac peregrinis aliis usus suaue urbis interdicerent. Certe hos peregrinos alios de suo addidit Cragius.

²⁹⁾ Scripserunt de illo peregrinorum odio inter priores Meursius Miscell. Lacon. II. 9., Cragius de Republ. Laced. I. 1. *De la Nauze de la loy des Lacédémoniens, qui défendoit l'entrée de leur pays aux étrangers.* in Mémoires de l'Académie des Inscriptions XII. p. 159. sqq. Exstat praeterea, quam quidem non vidi, I. Chr. Hetzeri Disputatio de Lacedaemoniorum ξενηλασίᾳ sive rigore adversus peregrinos. Lipsiae 1671 typis expressa. Add. Hermann. Compendium Antiquit. Graecar. §. 28, 7. ed. secund.

³⁰⁾ Verbi causa Plutarchus V. Agid. 10, ne peregrinorum morum contagione depravetur antiqua Lacedaemoniorum virtus et fortitudo, καὶ γὰρ ἐκείνους ἡλανυεν οὐ τοῖς σώμασι πολεμῶν, ἀλλὰ τοὺς βίους αὐτῶν καὶ τοὺς τρόπους δεδιώκεις, μὴ συναναγρωνύμενοι τοῖς πολίταις τονθῆς καὶ μαλακίας καὶ πλεονεξίας ἐντέκωσι ζῆτον, cum quo facit Xenoph. de Rep. Lac. 14, 4. ἐπίσταμαι δὲ καὶ πρόσθετον τούτου ἔνεκα ξενηλασίας γιγνομένας καὶ ἀποδημεῖν οὐκ ἔξον, ὅπως μὴ ὄμδιον φύεται οἱ πολίται ἀπὸ τῶν ξένων ἔκπιπλαιντο, atque Thucydides II. 39, ne forte aliorum hominum imitatione prudentiores fiant Spartani, qui Athenienses suos laudans καὶ οὐκ ἔστιν, inquit, ὅτε ξενηλασίας ἀπειργομένη τινα ἡ μαθήματος ἡ θεάματος, illo nomine vituperatus a Plutarcho V. Lyc. 27, sed laudatus a Creuzero, qui in oratione ab ipso de Civitate Athenarum omnis humanitatis parente (Francof. 1826. p. 53) habita Atheniensem φιλανθρωπίαν et φιλοξενίαν Lacedaemoniorum ξενηλασία opponit. Neque ulla alia de causa non licuisse Lacedaemonis in peregrinas terras proficiisci docet idem Plutarchus Instt. Lacc. p. 252. ἀποδημεῖν δὲ οὐκ ἔξην αὐτοῖς, ἵνα μὴ ξενικῶν ἔθων καὶ βίων ἀπαιδεύτων μετάσχωσι.

manitatis. Ut nihil de notissimo illo Licha Spartano dicamus, qui tantam hospitalitatis famam reliquit, ut quemadmodum Socrates Atheniensium civitati, sic ille Spartanorum honori fuisse dictus sit.³¹⁾ Neque non audiendus est Callias Xenophontes, civis Athenensis, qui suum genus gloriatur iam patrum memoria προξενίας iure cum Spartanis coniunctum fuisse.³²⁾ Eodem amicitiae hospitiique vinculo universi Lacedaemonii iuncti erant cum Pisistratidis, Endius ephorus cum patre Alcibiadis, Archidamus denique cum Pericle.³³⁾ Non igitur omnes omnino peregrinos, verum eos, qui longe aliam atque Spartanī διάταυ seculi³⁴⁾, hac ipsa morum domesticaeque vitae dissimilitudine gravissimis viris displicebant, in primis ephoris ita fieri iubentibus, a terrae urbisque suae aditu excludebant.³⁵⁾

Quae omnia si recte disputata fuerint, odio, quo Spartanī quidquid peregrinum erat per seculi esse dicebantur, ipsi quidem ab alienis terris adeundis prohibebantur, quominus autem universa republica vel permittente vel etiam, ut ita fieret, postulante artes sub alio sole natas in suam civitatem inferrent, nihil erat quod impediret, dummodo illam Spartanis innatam antiquae virtutis gravitatem adeoque severitatem non labefactarent.³⁶⁾ Florente enim republica

³¹⁾ Xenoph. Mem. Socr. I. 2, 61. ἀλλὰ Σωκράτης γε καὶ πόδις τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους κόσμου τῇ πόλει παρεῖχε πολλῷ μᾶλλον ἢ Λίχας τῇ Λακεδαιμονίῳ, ὃς ὀνομαστὸς ἐπὶ τούτῳ γέγονε. Λίχας μὲν γὰρ ταῖς γνωνοπαιδίαις τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν Λακεδαιμονίῳ ξένους ἔδειπνιζε. Quem Xenophontis locum Plutarchus V. Cimon. 10 ante oculos habuisse videtur. Ceterum, si tanti est, confer de Licha Odofr. Müllerum in libro: die Dorier Tom. I. p. 411.

³²⁾ Xenoph. Hellen. VI. 3, 4. ὁ ἄνδρες Λακεδαιμόνιοι, τὴν μὲν προξενίαν ὑμῶν οὐκ ἔγω μόνος, ἀλλὰ καὶ πατρὸς πατρίων ἔχων παρεδίδων τῷ γένει. Cf. eiusd. libr. V. 4, 22. Conviv. 8, 39 et Wachsmuthii Antiquit. Graec. Tom. I. P. I. p. 122. Adde Andocid. de pace p. 91. R., a quo Cimon προξένος τῶν Λακεδαιμονίων dicitur, et Boeckh. Corp. Inscript. Graec. T. I. p. 11. B. Confer Demosth. adv. Callippum p. 452, 5. ed. Bekk.

³³⁾ Thuc. II. 13. VIII. 6. Vide de publico illo hospitio peculiare Ulrichii librum de proxenia Berol. a. 1822 editum. Reges Spartanorum προξένους illos publica auctoritate nominavisse veri simile fit ex Herod. VI. 57. καὶ προξένους ἀποδεικνύαι τούτοις προσκεπθαι τοὺς ἦν ἐθέλωσι τῶν ἀστῶν.

³⁴⁾ Audiendus est in primis Plutarchus in V. Agid. 10, quem locum supra attulinus: τῶν δ' ἐν ταῖς πόλεσσι ξένων τοὺς τοῖς ἐπιτηδεύμασι καὶ ταῖς διαιταῖς ἀσυμφύλον μᾶλλον ἐδυσχέραιε· καὶ γὰρ ἐκείνους ἥλαννεν οὐ τοῖς σώμασι πολεμῶν, ἀλλὰ τοὺς βίους αὐτῶν καὶ τοὺς τρόπους δεδιῶς.... ἐπει τέοπανδρὸν γε καὶ Θάλητα καὶ Φερεκύδην ξένους ὄντας, ὅτι τὰ αὐτὰ τῷ Ανακούργῳ διετέλοντας καὶ φιλοσοφοῦντες, ἐν Σπάρτῃ τιμηθῆναι διαφερότως.

³⁵⁾ Sic ephori Atheniensium legatos Laconicam adire non patiuntur. Xen. Hellen. II. 2, 13. Maenandrum autem Samium, suadente etiā rege Cleomene, ex urbe exire iubent. Herod. III. 148. Plut. Apophthegm. Lacon. T. VIII. p. 214. Confer Od. Müller Dorier T. II. p. 8. Quid quod mancipia ex peregrinis terris inflata aut nulla aut per pauca tantum habebant. O. Müller I. I. T. II. p. 39.

³⁶⁾ Nam qui primus divina Homeri carmina e longinquis terris civibus suis attulerat, Lycurgus, neque agrum, cui illa infixit, infeliciorem et steriliorem, neque homines, quos uberrimos inde speravit fructus percepturos esse, feriores et ab omni pulchritudinis sensu destitutos esse existimavit. Nobis quidem nimia potius eorum, qui Atheniensium humanitatem liberaliumque artium studium nō satis se admirari posse putabant, prava sedulitate factum esse videtur, ut Lacedaemonii in desidia quandam et inertiae suspicionem incurserint. Accedit, quod multa, quae vulgo Lycurgo tribuuntur, quibusque maxime in nimiae illius tristitiae et austerioris famam venerunt, a Lycurgo instituta esse non possunt. Veluti illius legis, quae signata pecunia uti vetabat, aliis auctor quam Lycurgus quaerendus est. Pecuniam enim Lacedaemonii centum annis amplius post Lycurgum cedere coeperunt. Cf. Müller Aeginet. p. 51. sqq. et Boeckhium in opere eruditissimo, quod inscribitur: Metrologische Untersuchungen p. 76. Quam sententiam neque certius quisquam, neque acutius pronunciavit, quam omnis elegantiae praecceptor Welckerus in libro suo de Cyclo epico, p. 247: dem ältern Sparta hat überhaupt die spätere Kunstlosigkeit und Unwissenheit, die als Folge der Verfassung die Spartaner nach und nach in Schatten stellten, in der Meinung der Menschen so sehr geschadet, dass der wahre Begriff über Poesie, Musik und Bildkunst

salvage legum Lyceurgearum auctoritate tantum aberat, ut peregrinos omnes a suis finibus propulsarent, ut clarissimos quosque viros ex alienis terris et Spartam venisse et honorifice a Spartanis exceptos esse legamus. Quod tum maxime accidisse consentaneum est, si utilitatem quandam ex illorum adventu in suam rempublicam redundaturam esse sperabant. Etenim si aut frumenti inopia aut pestilentia, aut alia quadam calamitate publica premebantur, horum malorum remedia a peregrinis petere minime dubitabant.³⁷⁾

Itaque iam in eum locum deducta esse videtur disputatio nostra, ut nihil fere reliquum sit, nisi ut nobilissimos antiquissimae memoriae viros, qui aut poeticæ facultatis laude aut accuratae scientiae copia et subtilitate floruerunt, non modo sua sponte Lacedaemonem profectos esse, sed ab ipsis Spartanorum principibus ad se evocatos et tecto domoque honestissime exceptos esse fidem faciamus.

Quorum primus est *Terpander*, Lesbius vir, artis musicae scientia adeo inter aequales excellens, ut, quemadmodum *Orpheus* quercus olim et saxa cantu movisse, sic ille asperrima Spartanorum ingenia fidibus mitigasse domesticasque eorum turbas et motus sedasse feratur. Audiendus quidem est *Meineckius Berolinensis*, qui non unum aliquem certumque poetam Lesbium fuisse statuit, sed totam Lesbiorum gentem artis musicae scientiae floruisse opinatur.³⁸⁾ Sed ad nostram quidem disputationem nihil fere attinet, Terpanderne fuerit, qui Lacedaemonem venerit, an alias quisquam Lesbo oriundus, nec quando venerit, dummodo virum aliquem poetica et musica facultate instructum ex peregrina terra venisse, venisseque ante bella cum Persis gesta et salutarem suam artem turbulentissimis Spartanorum animis adhibuisse constet. De qua re dubitare non sinit auctoritas Plutarchi.³⁹⁾

Secundum locum post Terpandrum, sed quinquaginta fere annorum spatio ab illo sciunctum, obtinet *Thales* sive *Thaletas Cretensis*, quem alterum artis musicae conditorem et fere parentem fuisse tradunt, virum tanta suae artis facultate insignem, ut pestilentiam, qua Spartani laborabant, vocis fidiumque concentu sanasse perhibeatur.⁴⁰⁾ Nam Thaletae modos inter optimos fuisse scimus, qui in Gymnopaediis ad compescendam Deorum iram ineunte altero bello Messeniaco primum celebrari coepitis et cantati et saltati sint. Quemadmodum enim ad publicas calamitates averruncandas non solum apud Graecos, verum etiam

bei ihnen in dieser früheren Periode nicht weniger gegen alte Schriftsteller, wie noch immer gegen manche neuere Urtheile und Versuche der Kritik sich im Widersprüche befindet.

³⁷⁾ Aelian. Var. Hist. XII. 50. Plutarch. de Musica 42. T. XIV. p. 247. Hutt. Pausan. IV. 18, 2. Lachmann in: *Die spartan. Staatsverfassung* p. 166: von mehreren Gesetzen, welche Lycurg zugeschrieben werden, ist es sogar sicher, dass sie erst aus bedeutender späterer Zeit herrühren; so die Xenelasie, welche erst, als der Gegensatz der spartanischen Bildung gegen das Ausland schärfer hervortrat, nothwendig wurde.

³⁸⁾ Vide Meineckii fragm. Com. Graec. T. II. pag. 160.

³⁹⁾ Plut. de sera num. vind. 13. T. IX. p. 247. ἐώ τοίνυν, ἔφην, ὅμοιον ἐν Σπάρτῃ κήρυγμα τούτῳ τῷ Μετὰ Λέσβιον φέδον, ἐπὶ τιμῇ καὶ μηχανῇ Τερπάνδρου τοῦ παλαιοῦ κηρυτόμενον. Adeant qui de tempore, quo Terpander floruerit, et de magnis ipsius in rem musicam meritis, quae tanta fuerunt, ut modi musici ab illo inventi νόμων h. e. legum auctoritatem obtinerent, quas religio esset negligere, plura et certiora scire volunt, C. F. Hermannum I. l. p. 71. n. 69, Odofredo Müllero et Bernhardyo bellum indicentem.

⁴⁰⁾ Egregie errant, qui Thaletam aut Lycurgo comitem adiungunt, aut etiam illius praceptorum fuisse tradunt, veluti Strabo X. p. 482. Plut. V. Lyc. 4, quibus Aristot. Polit. II. 9, 5 adversatur: ἀλλὰ ταῦτα μὲν λέγοντιν ὀσκεπτότερον τῶν χρόνων. Quare Wachsmuthium non miramur, qui virum vixisse dubitare videtur. Vide *Hellen. Alterthumskunde* T. I. P. 1, p. 212.

apud omnes antiquitatis populos novas caerimonias aut recens inventas aut peregre in civitatem inflatas esse constat⁴¹⁾, sic illas quoque Gymnopaedias levandi morbi exposcendaeque pacis Deorum causa institutas esse probabile est. Pestilentia autem, quae quum humanis consiliis levari non posset, divino auxilio opprimenda erat, Spartanos non multo ante alterum bellum Messeniacum misere afflictos eaque calamitate illius belli opportunitatem Messeniis datam esse non sine aliqua veri specie suspicamur.

Neque silentio praetereundus est, quem omnes sciunt publica auctoritate expostulatum esse ab Atheniensibus, ut fractos eodem bello Lacedaemoniorum animos erigeret et ad virtutem et fortitudinem maiorum elegis suis et embateriis anapaesticis revocaret, *Tyrtaeus*. Neque tum demum, quum hoc bellum gerebatur, cecinisse dicitur, sed iam ante quam geri coepit sit, seditionem frumenti inopia exortam fama est ab ipso esse compositam.⁴²⁾

Quibus adiungimus *Alcmanem*, genere Lydum⁴³⁾, servili condicione natum, sed in Spartiorum civitatem receptum, qui aliquanto post Terpandrum vixit atque primus admirabilem illam sive ab ipso in patria inventam sive ab aliis acceptam modorum varietatem Spartanis attulit tantaque arte Lacedaemoniorum moribus accommodavit, ut vel puellarum choris carmina pepigisse dicatur.

Quemadmodum autem poeticam artem cum musica coniunctam etsi procul a Laconica inventam et exultam, atque qui eam exercebant vates atque poetas, peregrinos homines, plurimi a Spartanis aestimatos esse vidimus, ita etiam illud multo gravius et praeclarior philosophiae studium ea aetate, qua per universam Graeciam florere coepit, in tanta quae vulgo fertur Lacedaemoniorum tristitia et feritate non omnino neglectum esse nostro iure statuimus. Iam vero quae et qualia ars divina Lacedaemoniorum opera ceperit incrementa, quippe qui in ipsas rerum causas inquirere mundique initia explorare minus curarent, sed id maxime agebant, ut hominum vitam moresque severis legibus adstringerent, quaeque homines temere et imprudenter facere solerent, id certis verbis enunciarent, eorumque verborum gravitate non minus quam concinnitate delectarentur⁴⁴⁾, hoc loco demonstrare quum a nostro consilio alien-

⁴¹⁾ Sic ludos quoque scenicos pestilentia Romae grassante inter alia coelestis irae piacula primum institutos esse auctor est Livius VII. 2. Ceterum de Gymnopaediis cf. Mansonis Spartam I. 2. p. 211. Müllerij librum: die Dorier T. I. p. 158. Ruhnken. ad Timaeum p. 73. sqq. Kühnerum ad Xenoph. Mem. Socr. I. 2, 61.

⁴²⁾ Intelligenda est sedatio, de qua Müllerus agit l. l. T. II. p. 191. n. 2. Atque difficile dictu est, utrum poetica Tyrtaci facultas magis laudanda, an admiranda sit veteris Lycurgeae disciplinae severitas, quae tanta fuit, ut inter ipsos imminentis belli tumultus, quum dimidia fere redditum parte amissa fames et inopia civitatem premebat, unius poetae carmina hominum animos erigerent atque confirmarent.

⁴³⁾ Non enim audiendi sunt, qui Alcmanem Laconem esse dicunt. Quod propter Wachsmuthium monemus, qui in Antiqu. Graec. Tom. II. P. 2. p. 399 poetam Messoae natum esse statuit, si a nullo alio, a Velleio Paterculo I. 18 refutatus his verbis: Nam Alcmanem Lacones facile sibi vindicant. Adde Odofr. Müller Dor. II. p. 39.

⁴⁴⁾ Quae philosophia quum in terra habitaret, non ad coelum evolaret et astra, non paucos quosdam e doctoribus hominibus nacta est asseclas, sed universos Lacedaemonios cultores habebat atque amicos. Vid. Plat. Protag. p. 342. E. τοῦτο οὖν αὐτὸ καὶ τῶν νῦν εἰσιν οἱ καταγεγόκκισι καὶ τῶν πύλαι, ὅτι τὸ λαχωνίζειν πολὺ μᾶλλον ἐστι φιλοσοφεῖν ἡ φιλογυμναστεῖν, εἰδότες ὅτι τοιαῦτα οἶν τ' εἴναι ἔγματα φθέγγεοθαι τελέως πεπαιδευμένον ἐστιν ἀνθρώπον. Adde Wissemanni Commentationem de Lacedaemoniorum philosophia et philosophis, Hersfeldiae Cattorum a. 1840 editam. Porro id verbo tantum monemus, Lacedaemonii eam maxime placuisse doctrinae philosophicae partem, quae res publicas et civiles complectebatur vel cum rerum temporis praeteriti historia praeclarisque maiorum factis cohærebat. Cuius rei optimus testis est Hippias ille Platonicus, eiusque verba ex initio

num sit, qui non, quatenus singuli Lacedaemonii, ut Chilo ille, quem in septem sapientum numero fuisse notum est, philosophiae laude inclaruerint, examinemus, sed quam commendationem a peregrinis hominibus habuerit, explicare conemur, pauca quaedam de ciusmodi hominibus Spartae benigne exceptis afferenda sunt.

Atque ut nihil de Mysone dicamus, qui Laco habendus sit an Oetaeus recte dubitatur⁴⁵⁾, Aristodamum tamen, qui et ipse iisdem septem sapientibus adnumeratur, Argivum esse cum Hermanno rectius statuimus quam Spartanum⁴⁶⁾. Quem quamquam Spartani a civitate sua prohibebant, tamen peregrinorum hominum taedium atque fastidium non tam superbum esse potuit, quam vulgo putatur, quum virum sapientiae fama inter aequales excellentem tantum aberat, ut a sua consuetudine et familiaritate arcerent, ut eum apud se, quam apud alios vivere malent.

Aristodami nomen si cui obscurius videtur, inter ipsos illos, qui ea aetate florebat, philosophiae principes Pherecydes Syrius una cum Terpandro et Thaleta benigne a Lacedaemoniis exceptus esse, et ut alter quasi quidam Lycurgus si non leges tulisse, tamen virtutem iisdem fere verbis, quibus ille solebat, praecipisse narratur⁴⁷⁾, Anaximander autem Milesius gnomonem a se inventum Spartae publice collocavit. Neque ut olim ad Tyrtaei et Thaletae, ita aliquanto post desperatis reipublicae temporibus ad artem et sapientiam modo Abaridis ab Hyperboreis arcessiti, modo Epimenidis Cretensis confugere dubitabant. Atque ut hos etiam taceamus, Pythagoram Samium, qui Pherecydis illius Syrii discipulus habetur, fama est non solum visendi studio ductum Lacedaemonem peregrinatum multosque in illa urbe nactum esse auditores⁴⁸⁾, verum etiam quidquid in ipsis institutis Doricam originem redolere videtur, id ex Lycurgi vel etiam Minois legibus in usum suum convertisse.⁴⁹⁾

At ne quid temere praeterisse videamur, quod inveteratam illam opinionem, qua Spartani quaevis peregrina a suis finibus propulsavisse dicuntur, si non evellere ex animis hominum, infringere tamen possit et labefactare, non possumus non clarissima artium opera et monumenta commemorare, quae in perpetuo armorum strepitu castrorumque vastitate, nam castra esse volebant Lacedaemonem suam, non urbem, vix dixerit quisquam locum suum

dialogi, qui inscriptus est Hippias Maior, in primis hoc pertinent. Cf. Osanni librum: *Beiträge zur Geschichte der griech. und röm. Literat.* T. II. p. 26. A quibus ne quis discrepantem putet Quintianum Instit. Orator. II. 16, 4, effecit idem Osannus in scriptiuncula: *der Sophist Hippias als Archaeolog*, quae legitur in Nov. Continuat. Musei Philologicici Rhenani a. 1843. Fasc. 2. p. 495 sq.

⁴⁵⁾ Plato Protag. p. 383. A. hominem pro Periandro in septem sapientum numero collocat. Agunt de ipsis patria interpretes ad Diog. Laert. I. 106. Heindorfius ad locum Platonis. Cf. Müller's Dor. T. II. p. 29. n. 2.

⁴⁶⁾ Vide Hermanni Antiquit. Lac. p. 93.

⁴⁷⁾ Diog. Laert. I. 117: *καὶ Λακεδαιμονίοις εἰπεῖν μῆτε χρυσὸν τιμᾶν μῆτε ἀργυρὸν*. Adde locum Plutarchi de quo n. 34. diximus.

⁴⁸⁾ Ceterum de itineribus Pythagorae, quae postquam e Pherecydis disciplina prodierit fecisse constat, confer utilissimam H. Ritteri et L. Preller's Historiam philosophiae Graeco-Romanae, Hamburgi a. 1838 editam, p. 56.

⁴⁹⁾ Diog. Laert. VIII. 3. Multa profecto, quae Pythagorae placuerunt, ad Lycurgeorum institutorum similitudinem proxime accedere videntur. Constat enim, ut hoc utar, Pythagoram plebi in republica adeo nihil concessisse, ut Ninoni, fraude utique turpissima, comminisci licet, philosophiam viri totam nihil esse aliud nisi factam contra plebem conspirationem quandam. Nimurum philosophus Samius persuaserat sibi penitus hoc: *φαῦλος κριτής παντὸς καλοῦ πράγματος δχλος*, ut scribit Apollon. ap. Iamblich. §. 260. Cf. Stallbaumii diatriben in Platonis Politicum (Lipsiae 1840) p. 88.

debitumque honorem habitura fuisse: non sero illa facta et publice posita, sed in ipsis reipublicae primordiis in omnium conspectu collocata. Atque ea quidem et antiquissima quaeque maxime peregrinorum hominum arte et consilio confecta erant. Sic Pausanias ipse inter alia viderat vetustissimum Iovis simulacrum a Learcho Regino, quem Daedali discipulum esse volebant, ex aere factum, prope templum Minervae Chalcioeci, et splendidissimum Apollinis Amyclaei solium, Bathyclis opus, qui Magnesiae natus erat. Sciadem denique quis nescit a Theodoro Samio esse aedificatam ⁵⁰⁾.

Quae omnia si cum aliqua veri specie disputata esse videantur, viris harum rerum peritis xenelasiae illius, quae vulgo fertur, vim et potestatem florente Lacedaemoniorum republica non tantam fuisse apparebit, quanta multis visa est: decrescente autem fortissimae civitatis gravitate aut corruptelae metu sive invidia illius, qua reliquae nationes gaudebant, publicae felicitatis, sive innato denique, de quo supra diximus, occultandarum rerum suarum studio, severiorum atque duriorem factam esse censemus. Tum demum sibi prius diffidere coeperunt quam exteris, imminentequa rerum omnium, quam diu reformidabant, conversione et ruina, quum tantae calamitati impares sese futuros esse intelligerent, quidquid ab aliis ad ipsos importaretur, id vel cum aliqua morositatis et tristitiae specie reiicere satius duxerunt, quam suis admiscere. Primum autem fracta est illa a Lycurgo prudenter servata Lacedaemoniorum vis et fortitudo non multo post bella cum Persarum regibus gesta delatusque, quem strenue tenuerant, ab ipsis ad Athenienses universae Graeciae principatus. Qui enim ante, quidquid magni et praeclari reliqui Graeci aut cogitarant aut fecerant, nequaquam repudiabant ⁵¹⁾, iidem postea ne perpaucia quidem illa scitu digna esse putabant, quibus Pythagoras et qui eum secutus est Plato, omnia quasi sapientiae semina contineri dicebant ⁵²⁾. Deinde vero recuperata bello Peloponnesiaco summa universae Graeciae potestate inter partium, quae sub huius ipsis belli finem Lacedaemonem esse coeperunt, certamina, quarum altera antiquae reipublicae formae tuendae unice intenta nihil nisi otium cum dignitate petebat bellaque temere suscipienda repudiabat, altera vero novarum rerum studiosa alia bella ex aliis nasci eaque etiam procul a patria geri volebat, sensim a genuina morum simplicitate deflectere et a pristica illa sobrietate desciscere coeperunt ⁵³⁾. Laxata autem et soluta vetere disciplina nova et ante

⁵⁰⁾ Paus. III. 17. 6. 18. 6. 12. 8. Recte igitur Thierschius: *über die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen* p. 170. ed. sec. (p. 32. ed. pr.) haec scripsit: *Ja selbst den Spartiaten blieb nur die spätere mit der Herrschaft von Athen begonnene feinere Bildung fremd; weiter zurück fand unter ihnen allen, was Griechenland in Kunst und Poesie Schönes erzeugt hatte, gastlichen Empfang.*

⁵¹⁾ Quae non nostra, sed immortalis viri, Odofr. Mülleri, est sententia in libro de Doriensibus T. II. p. 396 ita disputantis: *So begründet denn auch dies wieder die Ansicht, dass bis nach der Zeit der Perserkriege alles geistig Grosse und Schöne nichts weniger als von Sparta ausgeschlossen, sondern vielmehr dort durchaus heimisch und lebendig war.*

⁵²⁾ Plut. Instt. Lacc. T. VIII. p. 247. Hutt. γράμματα ἐνεκα τῆς χοείας ἐμάνθανον, τῶν δ' ἄλλων παιδευμάτων ξενηλασίαν ἐποιοῦντο, οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων η̄ λόγων. Plat. Hipp. Mai. p. 284. B. οὐ γὰρ πάτριον, ὡ̄ Σώχρατες, Λαχεδαιμονίους κινεῖν τοὺς νομούς, οὐδὲ παρὰ τὰ εἰωθότα παιδεύειν τοὺς νιεῖς, (quam rem accuratius persecutus est Meursius Misc. Lacon. II. 5) atque ibidem p. 285. C. ἐπεὶ οὐδὲ ἀριθμεῖν ἐκείνων γε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πολλοὶ ἐπίσταται, de qua re audiendus est Perizonius ad Aelian. Var. Hist. XII. 50. p. 807. De universa autem puerorum educatione vide quae Xenoph. de rep. Laced. 2 profert, quibus addantur, quae egregii iudicii plena et cum summa sermonis elegantia de eadem re disputavit Fr. Iacobsius in Script. Miscell. T. III. p. 82—88.

⁵³⁾ Lacedaemonios enim solos toto orbe terrarum septingentos annos amplius unis moribus et numquam mutatis legibus vixisse, quae sunt verba Ciceronis pro Flacco 26, aut vivere potuisse, non facile

fere inaudita labanti reipublicae circumspicienda erant subsidia et firmamenta.⁵⁴⁾ Accedit praeterea, quod bello Peloponnesiaco finito Lacedaemonii quoque non solum militum mercede conductorum auxilio uti non recusarunt, verum etiam ipsi mercenariam suam operam exteris gentibus et hominibus praestiterunt, suamque patriam hac re maxima affecerunt calamitate. At ne quis dicat, pauperiores modo et eiusmodi homines, a quibus tamquam a molesto quodam onere liberari sibi gratulantur civitates ad unam omnes, ad longinqua bella et in barbarorum castra, tamquam in honestum aliquod exilium, missos esse, Xanthippus, quo duce Carthaginenses Regulum vicerunt Romanosque ex Africa eiecerunt, et optimo genere natus et Lycurgea disciplina institutus fuit. Quos longe plurimos non meliores, sed peiores redisse facile perspicitur.⁵⁵⁾

Quae quum ita sint, universae disputationis nostrae summa eo redire videtur, primum, ut in Lacedaemoniorum rebus rite aestimandis ratione habita diversitatis temporum non omni tempore omnia, sed suam cuique aetati naturam fuisse et indolem statuamus⁵⁶⁾, deinde vero totam rem publicam Spartanorum quaevis peregrina repudiasse et procul a se habuisse non solum negemus, verum etiam, quatenus salva Doricae indolis puritate et integritate fieri potuerit, recepisse ea et in suum usum et utilitatem convertisse dicamus. Singuli autem Lacedaemonii non dubitamus quin omni aetate ab exterorum hominum usu et consuetudine prohibiti Lycurgearumque legum severitate coerciti partim nihil novi in domos suas intulerint, partim omni inter cives aut artis operum conficiendorum, aut variarum, quae per totam Graeciam florarent, literarum vel confirmandarum et stabiendarum, vel amplificandarum et exornandarum aemulatione sublata humanorumque ingeniorum mobilitate et inconstantia disciplinae suae rigore cohibita aut nullam aut perexiguam in artibus operam praestiterint. Praeter Alemanem enim, quem et ipsum a Lacedaemoniorum civitate seiunximus, et Chilonem, qui tamen nihil novi invenit, paucorum tantum nomina eorumque practer nomina vix quidquam

quisquam invenitur, qui vel eloquentissimo oratori credit praeter Livium XXXVIII. 34: nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi, cui per septingentos annos adsueverant, sublata. His ipse Xenophon de Rep. Laced. 14, 1 adversatur: εἰ δέ τις με ἔρωτο, εἰ καὶ νῦν ἔτι μοι δοκοῦσιν οἱ Λυκούρογον νόμοι ἀπίνητοι διαμένειν, τοῦτο μὰ Δία οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι.

⁵⁴⁾ Cuius deminutio prima vestigia si Odofr. Müllerus Dor. II. p. 195 in bello cum Persis gesto apud Herod. VII. 234 Demaratum regi Persarum ita respondere iubente: ἔστι ἐν τῇ Λακεδαιμονίῳ Σπάρτη, πόλις ἀγδῶν ὄκτακις χιλίων μάλιστά κη, propterea invenisse sibi visus est, quod pater historiae pro novem millibus civium octo tantum fuisse narrat, id subtilius quam verius disputavit vir doctissimus.

⁵⁵⁾ Polyb. I. 32. ἐν οἷς καὶ Ξάνθιππόν τινα Λακεδαιμόνιον ἄνδρα τῆς Λακωνικῆς ἀγωγῆς μετεσχηκότα καὶ τριβὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔχοντα σύμμετρον.

⁵⁶⁾ Quod etiam nobilissimis veterum scriptoribus accidisse constat. Etenim si reipublicae Lycurgeae formam et disciplinam maiore laude a Xenophonte, sollertissimo rerum Laconicarum admiratore, aliquanto minore a Plutarcho, in primis in vita Agidis, adhibeit denique civili prudentia ab Aristotele descriptam legitimus, alios alium aut florentis aut decrescentis reipublicae statum ante oculos habuisse probable est. Plutarchus in primis plura in Lycurgum confert, quae multo post accidisse scimus. Quo factum est, ut qui postea de veterum moribus, institutis, legibus, sacris scriberent, omnia miscerent, et si quid forte tempore mutatum et innovatum invenissent, id morum corruptela et, quae in omnibus rebus humanis esse soleret, depravatione explicandum esse opinarentur. De qua perversa historiae et literarum antiquitatis tractandarum ratione primum viros doctos monuisse non minima summi Niebuhrii laus est. Quod quum in rebus Graecis non minus quam in Latinis factum esse intelligamus, hoc tamen discrimen statendum esse videtur, quod apud Romanos ex priorum temporum tenebris paulatim clarior sol eluescit, apud Lacedaemonios vero Lycurgeae aetatis lucem ac splendorem caliginosa nox oppressit.

commemoratur. Sunt quidem, qui Dionysodotum, Terpandi discipulum, Spendontem, quem Alemanis vestigia pressisse tradant, atque alias laudent.⁵⁷⁾ Neque alia ratio est eorum, qui aut statuaria arte aut signorum ex aere factorum scientia, velut Gitiadas⁵⁸⁾, aliquam inter populares laudem sibi parasse perhibentur. Nam praeterquam quod admodum exigua illorum gloria fuisse videtur, ea, si qua fuerat, ita oblitterata est temporum oblivione, ut Spartani an perioeci habendi sint, recte dubitetur.⁵⁹⁾

⁵⁷⁾ Quos ne nimia laude efferamus, in primis monet Welckerus ad Aleman. fragm. p. 5. Spartanorum lyricos, inquit, primarios haud fuisse indigenas artemque musicam honoratam quidem, sed tamquam hospitem quandam aut μέτοικον habitam esse, ex variis indicis mihi perspicere videor. De musicae artis apud Spartanos cultura vide plura in Jacobii Script. Miscell. T. III. p. 168—170 et p. 280 sq.

⁵⁸⁾ Paus. III. 17, 3. Λακεδαιμόνιοι πολλοῖς ἔτεσιν ὑστερού τὸν τε νοὸν δύοις καὶ τὸ ἄγαλμα ἐποιήσαντο Ἀθηνᾶς χαλκοῦν, Γιτιάδας δὲ εἰργάσαστο ἀνὴρ ἐπιχώριος.

⁵⁹⁾ De quibus Müllerus Dor. T. II. p. 29 ita iudicat: die wahrscheinlich alle für Perücken zu halten sind, wenn sie auch Pausanias, den genauern Unterschied vernachlässigt, Spartiaten nennt.